Dissertatio medica inauguralis de epilepsia ... / [David Millar].

Contributors

Millar, David.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Ex typis Davidis Paterson, 1763.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/bsuz9gb4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE EPILEPSIA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS; ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID MILLAR, SCOTO-BRITANNUS.

Aggrediar, non tam perficiendi spe, quam, experiendi voluntate.
CICERO Orat. ad BRUT.

Ad diem 4 Octobris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Ex Typis DAVIDIS PATERSON.
M DCC LXIII.

ERRATA.

P. 1. l. 8. pro ſaltim l. ſaltem.
P. 5. l. 6. pro Proxime l. Proximum.
P. 6. l. 4. pro moeſticia l. moeſtitia.
P. 8. l. 21. pro poſt tempus l. aliquanto poſt.
P. 15. l. 18. pro dimoveat l. demoveat.

VIRO EGREGIO

GULIELMO CULLEN,

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS

SOCIO DIGNISSIMO,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE CHEMICAE,

IN

ALMA ACADEMIA EDINENSI,

DOCTORI CELEBERRIMO,

VIRO MULTIPLICE LITERARUM DISCIPLINA ORNATO,

MORUM PROBITATE ATQUE INGENII ACUMINE,

INPRIMIS INSIGNI;

OB

OPTIMA, QUIBUS STUDIA SUA REXIT, CONSILIA,

ET BENFICIA, QUAE IN SE CONTULIT,

CUM ALIA INNUMERABILIA;

TUM, QUOD CHEMIAE ET PHILOSOPHIAE

EXPERIMENTORUM SCIENTIA, SE IMBUENDUM

SINGULARI STUDIO CURAVIT;

QUODQUE

EX QUO, EJUS QUI NATURA PARENS FUIT,

IN COELUM SPIRITUS MIGRAVIT, BENEVOLENTIA

ILLE SUBIENS, OMNIA VERE PATERNA MUNERA

OMNI TEMPORE EXPLEVIT;

HUNC STUDIORUM PRIMUM LABOREM, GRATI ANIMI

MONUMENTUM.

DICATUM VOLUIT

DAVID MILLAR.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30543319

DISSERTATIO MEDICA

DE

EPILEPSIA.

MORBI convulſivi hominum corpora, diriſſimis doloribus ſaepe exercent, quam ob cauſam, medicos illorum varias ſpecies, corporumque, quae maxime iis obnoxia ſint habitus, cauſas diverſas a quibus oriuntur; poſtremo, quae in auxilium ſingulorum promptiſſima ſint, minime ignorare decet. In quibus ſcrutandis conſiderandiſque, juniores ſaltim medici, multa commoda adipiſcentur.

PROXIMO abhinc anno, cum ſtatuerem ſummum medicinae honorem ambire, de iis medicamentis, quae antiſpaſmodica audiunt, quaeque in motibus convulſivis valentiſſima ſunt, aliquid, ut mos eſt, in lucem edere decreveram; verum, ut effectus et modus, quibus in corpus vivum agunt, multa caligine obducuntur, ad eam rem illuſtrandum plurima experimenta neceſſaria fore credebam: Quo circa, quid illa remedia in vivis ſaniſque animalibus efficiant, tentare ac diligenter inquirere,

coepi. Efficaciſſima antiſpaſmodica catulis, felibus parvis, variiſque avibus, variis modis dedi. Sed multa alia ſtudia, interea temporis, irruentia, quo minus iis experimentis incumberem, impediebant. Certe arduum ipſum opus erat, eoque tempore meas vires plane ſuperabat, ergo per aliquod temporis propoſitum omittendum cenſui, ac ne nunc quidem adgrediendum: ne tamen ab eo conſilio penitus diſcederem, de morbo convulſivo; Epilepſia ſcilicet, cui multa cum in natura ejus, tum in curatione cum aliis morbis convulſivis communia ſunt, pauca dicenda judicavi. Cum haec autem breviſſimo temporis ſpatio ſcripta ſint, multi errores irrepſerint neceſſe eſt, quos ut Profeſſores humaniſſimi condiſcipulique chariſſimi mihi condonent, precor.

ALIIS nominibus, alii ſcriptores hunc morbum nuncuparunt: Inter Graecos, medicoſque recentiores, uſitatiſſimum EPILEPSIA eſt, quod ab verbo επιλαμβανειν, corripere vel invadere ſignificante, detorquetur, quia, morbus hominem ſaepiſſime ex improviſo corripit *.

EPI-

* In aliorum ſcriptis Morbus Caducus, Comitialis, Herculeus, Μεγας, Major, ιερος, Sacer, Lunaticus, Infantilis, Sonticus, vocabula inveniuntur, quorum ſignificationem ſcire cupientes ad hos relego. Galen Comment. in lib. vi. Epid. Chart. tom. ix. p. 550. Aret. de ſign. et cauſ. morb. diuturn. cura Boerh. p. 28. Cælius Aurelianus de morb. acut. et chron. cura Con. Amman. Amſt. 1709. p. 29. Van Swieten in Boerh. Aph. tom. iii. p. 391. Boerh. de morb. nerv. tom. ii. p. 770.

EPILEPSIA morborum convulsivorum species est, in quâ, membra variis modis agitantur, dum eodem temporis puncto, omnes sensus cum interni tum externi penitus consopiuntur. Epilepsiae definitio.

MULTIS hoc morbi genus commune est. Pueri et adolescentes ei opportuniores, quam aut juvenes, aut provectiore aetate homines, sunt. * Hujus morbi subjecta.

EIDEM etiam patent, quibus laxi serosique corporum habitus sunt †. Melancholici in eundem, teste Hippocrate, saepe incidunt ‡.

QUI corpus valde irritabile habent, vel agiliore nervorum sensu, vividoque ingenio praediti sunt, qui amore insano §, terrore, iracundia, mœrore aut aliis animi affectibus prae caeteris torquentur, in hunc morbum proclives omnes sunt. Dolores acuti, sensiliora ac teneriora corpora Epilepsiâ saepe afficiunt, id quod in infantium dentitione, aliisque dolorificis morbis fieri solet.

MORBUS hic a parentibus ad prolem, sorte nascendi, saepe derivatur. Quorum enim sive majorum, sive parentum, aliquis hoc morbo afflictus est, hi levissimis ex occasione causis, in morbum quasi paterno jure, ruunt.

CELSUS ait †† EPILEPSIAM saepius viros quam foe-

* Hoffm. opera omnia Gen. supl. II. pars ii. p. 194. Tom. iii. p. 9. Paulus Æginet. de re medica inter medicinæ artis principes, tom. i. col. 423. † Hoffm. l. pr. c. ‡ Hippocr. 6 epidem. § 8. texu 40. § Junker. comp. med. theor. pract. p. 447. †† Celsus de re medica, p. 172.

foeminas occupare. Quod dictum solius ejus autoritati, perpaucis aliis idem memorantibus, inniti videtur *. Quod tanquam fictum aut vanum rejicere, neque meum est, neque pro propria morbi notitia, quidem possum, sed ni fallor, hujus morbi rationi minime convenit.

Pro certo habemus Epilepsiam, juniores quam senes, saepius aggredi, atque illorum ipsorum saepius eos, quibus mollia ac tenera corpora sunt, saepius etiam pueros urbanos quam agrestes, premere; † unde dici potest, eos quibus irritabiliora corpora sunt, ut fit in omnibus supra comprehensis, morbo huic obnoxiores esse, idemque de sexus differentia dici potest. Certum est mares habitus robustiores, nervosque firmiores quam foeminas habere, quibus quoque minus, malo huic opportunos esse, necesse est; utpote cujus causa προηγουμενη, in molli nervorum compage consistere videtur. Itaque Junckerus huic malo obnoxiores foeminas maribus esse affirmat ‡.

Foeminae multae gravidae, praecipueque circa pariendi tempus, hoc affectu corrpiuntur, idque sive aliquibus ante temporibus, morbus eas presserit, seu immunes ejusdem per omnem vitam fuerint, ut in Schenckii observationibus saepe dictum videbis §.

Post

* Dictum est mares Epilepsiae obnoxiores quam foeminas esse; in Encylopedie ou dictionaire raisonne des sciences des artes et des metieres art. Epilepsie. † Hoff. tom. iii. p. 10. ‡ Juncker Consp. Med. l. c. § Schenckii Med. Observat. p. 105.

Post vigesimum aetatis annum, perpauci hoc morbo afficiuntur, quia, ut Hippocrates explicavit, cerebrum tum compactum ac durum est; (*a*) scilicet corpus firmius esse incipit, quam ut causis, quibus antea affici potuerit, deinde afficiatur.

Proxime nunc est, quae signa hujus morbi esse consueverunt, explicare, primumque ea, quae eum mox futurum esse, denuntiant, sive inchoetur, sive aliquem jam ante affectum repetat. De quibus utrisque simul agendum erit.

Morbi Comitialis instantis signa.

Quidam accessionem instare non praesentiunt, sed humi subito prosternuntur, quod tamen, non nisi inveterascente malo, fieri consuevit. Signa venturae accessionis praecipua haec sunt, quae utique neque in omnibus eadem sunt, neque omnia cuilibet uni contingunt.

Capitis gravitas, vertigo, oculorum scintillatio, vel eorundem acies intenta (*b*). Iisdem tenebrae objiciuntur, interdum quasi ignis globi (*c*) vel veluti minima quaedam obvolitantia videntur; quae paulatim majora esse apparent: interdum subita et perfecta caecitas est; Iridis oculorum color purpureus, niger, aut varius (*d*). Odor in naribus molestus; auditus difficilis (*e*), vel aurium tinnitus fiunt; sapor ingratus, lingua modo pa-

(*a*) Hipp. de M. Sacr. Chart. tom. x. p. 482. (*b*) Cælius Aurel. de m. chron. p. 292. (*c*) Bart. cent. iii. hist. ob. 45. Eph. N. C. D. i. a. 2. ob. 96. Van Swieten, tom. iii. p. 396. (*d*) Aretæus de caus. et sign. acut. p. 1. (*e*) Cæl. Aurelian. l. c.

parum, modo nimis mobilis fit (*a*). Salivae ex ore profusio, vultus pallor; cibi desiderium vel plus, vel minus est: iracundi aegri sunt (*b*), aut moesticia, formidine, tristitia insueta, anxietate, quandoque laetitia aut risu inepto exercentur (*c*). Animi vel corporis sensus deficiunt, somnus vel debito profundior, vel ne satis quidem; horrenda insomnia sunt (*d*). Incubi crebior inter somnum accessio (*e*); Venarum colli distentiones, Praecordiorum inflationes sunt (*f*); Dolor inter scapulas (*g*), interdum convulsio (*h*). Accedunt cordis palpitatio, spiritus difficilis (*i*), oscitatio, venter aut intro retractus, aut intumescens, aut denique ejusdem murmur (*k*); internorum partium ardor (*l*); alvi foetidae dejectiones (*m*); urina cruda aut nimia (*n*); sine manifesta causa colis tentigo (*o*); aut semen ob immundas noctu imagines rejectum; omnium membrorum tremor, (*p*) extremorum frigus, tendinum subsultus, aurae quasi vel flammae (*q*) ab Hypochondriis (*r*), vel externis partibus ad Praecordia (*s*), aut caput (*t*) ascensus; frigidae

(*a*) River. Pax. Med. p. 176. Lommii Obs. Med. p. 89. (*b*) Aretæus, l. c. (*c*) Fran. Delab. Sylviis Prax. Med. p. 426. (*d*) Lommii Obs. l. c. (*e*) Etmulleri opera omnia, *Lond.* 1688. tom. i. p. 437. Hieron. Cappivac. opera, p. 32. (*f*) Aretæus l. c. (*g*) Cælius Aurelianus l. c. Lommii. ob. l. c. (*h*) Lommii ob. l. c. (*i*) River. l. c. (*k*) Ettmulleri, l. c. (*l*) Encyclopedie art. Epilepsie. (*m*) Hoffm. opera, tom 3. p. 9. (*n*) Hoffm. l. c. (*o*) Cælius Aurelianus, l. c. (*p*) Del. Sylvius l. c. (*q*) Eph. N. C. cent. i. ob. 80. (*r*) Eph. N. C. D. i. a. 1. ob. 85. (*s*) Van Swieten, l. c. (*t*) Willis Pathol. Cerebri de Epilep. p. 17.

gidae aurae tanquam a capite deſcenſus, rarior eſt (*a*).

HORUM modo nonnullis, modo nullis praecedentibus, acceſſione homo protinus corripitur; Quae vero tum oriuntur mala, ſicut in inſtantis morbi ſignis jam dictum eſt, in aliis hominibus alia, nunc quoque exponenda ſunt. Quae in circuitu incidunt.

SUBITO homo concidit, vel potius quaſi ruinam trahentis inſtar corruit, omnes ſenſus eodem tempore ita penitus conſopiuntur, ut a nullis ſtimulis admotis excitari deinde poſſint (*b*); membra ut in jugulatis tauris fieri videmus, variis motibus, varie concutiuntur (*c*). Muſculi vultus, innumerabiles in facies torquentur, ut alio tempore alium animi affectum exprimant. Inter cadendum gemitur (*d*), dentes ſtrident, maxillae interdum tam valida vi committuntur, ut dentium interdum fragmenta abrumpantur, quod copioſus ſalivae tenuis fluxus comitatur (*e*); lingua aliquando invito homine, exeritur, et dentibus ita laeditur, ut interdum etiam pars praecidatur; vultus modo lividus, modo in nigrum prope colorem abit, quo primum labia vel loca oculis ſubjecta inficiuntur, Palpebrae quanquam diris motibus agitantur, nunquam tamen tam arcte committuntur

(*a*) Eph. N. C. d. ii. a. vii. ob. 197. (*b*) Ludwig Med. Clin. Inſt. p. 307. Syl. prax. med. p. 421. (*c*) Aretæus lib. c. p. 2. (*d*) Paul. Ægin. de re Medica inter med. artis princ. tom. i. col. 423. (*e*) Boerh. de Morb. Nerv. vol. ii. p. 778.

tuntur, ut oculorum album non appareat (*a*); Os initio ſiccum eſt; Venae circa caput nonnunquam magnopere diſtenduntur; ſpiritus difficilis eſt, ut iis uſu venit, quibus gravius aliquod pondus tollendum, aut viribus aliàs enitendum eſt (*b*); Praecordia cum toto Ventre ſaepe intumeſcunt (*c*); Pulſus varius, primo vehemens, velox et parvus, ſub finem vero, magnus, tardus et parum jam validus, in univerſum autem, ſui ordinis expers (*d*); Verum ut in omnibus motibus convulſivis, pulſus vix explorari poteſt, ita in hoc quoque morbo, incertiſſimi ejus ſumus. Pollices in cavam manum inflexi artiſſime includuntur (*e*); Sub finem ſpumeſcit os, quae ſpuma ex craſſiſſima pituita facta eſt (*f*); aliquando ſtercus, urina, et ſemen emittuntur (*g*); ſudor, ardente corpore, interdum prorumpit (*h*); aliquando vomitus fit.

INTERPOSITO tempore, haec mala paulatim remittunt, motuſque omnis ſuam vim ponit, ſpiritus facilior fit, ſomnus apoplecticorum inſtar eſt; atque poſt tempus ad ſe redeunt aegri, omnium, quae hactenus facta ſunt, immemores. Interdum morbo protinus finito, omnes ſenſus cum perfecta ſanitate redintegrantur, verum multo frequentius, corporis languor ac debilitas aut capitis dolor, vertigo, cum ocu-

(*a*) Boerh. de morb. nerv. tom. ii. p. 776. Aret. lib. cit. p. 2. (*b*) Van Swieten lib. cit. §. 1073. (*c*) Willis l. c. (*d*) Aretæus l. c. (*e*) Hoffm. tom. iii. p. 9. (*f*) Aretæus lib. cit. p. 3. (*g*) Aretæus l. c. Ludwig Med. Clin. l. c. Stercus quod exprimitur ſæpe viride eſt. Boerh. de morb. nerv. lib. cit. p. 816. (*h*) Sylvius lib. cit. p. 421.

oculorum caligine, aliquamdiu manere consueverunt *. Interjecto deinde tempore circuitus revertitur; medium hoc tempus, quo omnis morbi vis ponitur, in aliis hominibus aliud est.

MULTUM refert morbi originem, rationalem medicum, non latuisse; sine cujus notitia, ratione nemo sanatur; contraque empiricorum more, et casu temerario hoc factum sit, si fiat, necesse est. Hujus morbi causae.

EPILEPSIÆ causae sunt, vel, quam Graeci προηγουμενην dicunt, vel, quae occasionales nominantur. Illa in omnibus hoc morbi laborantibus, ni fallor, eadem est, scilicet vitiosus sensorii communis habitus, aut prava cerebri conformatio; sed qualis ea sit, cum frustra multi conjecturis assequi conati sint, mihi non esse inquirendum videtur. Nervi eorumque leges nondum tam explorata sunt, ut ad multorum malorum causas in iis positas, humanum ingenium altius penetrare possit. Quamvis plurimi viri hujus saeculi, inter quos quidam in hac academia primi habendi sunt, magna diligentia, multoque labore effecerunt, ut multa de corporis sensilitate ac irritabilitate, multae etiam nervorum leges ante incognitae, nobis tandem innotescant, iidem tamen ad varia quae in morbis illorum incidunt, explicanda parum suffecerunt.

* Willis l. c. Aret. l. c. Cael. Aurelian. p. 293.

SED quamvis cerebri conformationem, in qua Epilepsiae causa προηγεμειν, consistere videtur, nescimus, tamen quaedam eam efficientia, multaeque ejus causae occasionales non latent.

DE quibus omnibus jam erit agendum, initio tamen monendum est, multa hunc morbum fecisse dicta esse, quae facta ab eo potius dicendum fuit. Si in cerebro cadaveris inciso, aqua aut durior aliquis tumor deprehensa sunt, ea Epilepsiam fecisse continuo dicuntur, quae contra a morbo facta esse, multo verisimilius est. Haec causarum et effectuum discrimina, cum explanari in omnibus hujus morbi speciebus non possint, cavendum est, ne temere quis in sententiam eat, quam mox mutare laboret.

CAUSAS enumerare, aptioribus quam Boerhaavianis verbis, qui tam clare et erudite hunc morbum tractavit, non possum.

" ILLAE autem sunt, 1. Haereditariae ex labe
" gentili Patris, Matris, parentumve, aut majo-
" rum, silente saepe morbo in genitore, dum ex
" avo derivatur in nepotem. 2. Congenitae, ex
" imaginatione Matris gravidae excitatâ per con-
" spectum Epilepticum (*a*). 3. Cerebrum in inte-
" gumentis suis, superficie, substantiâ, ventriculis
" male

(*a*) Ad haec duo Epilepsiae genera accedit id, quo nutricis animi affectus pueros lactentes inficiunt, Hoff. tom. iii. p. 17. et Suppl. II. pars ii. p. 194. Van Swieten in Boerh. Aph. tom. iii. p. 403.

" male affectum, per vulnera (*b*), contusiones (*c*),
" abscessus, pus (*d*), saniem, ichorem, sanguinem,
" lympham acrem, foetidam (*e*), excrescentias os-
" seas cranii interni (*f*), intropressiones ejus, car-
" telagineam sinuum venosorum naturam, frag-
" menta, spinasve ossium, vel instrumentorum (*g*)
" laedentium meningas, cerebrumve, argentum
" vivum ad cerebrum quacunque viâ delatum (*h*).
" Idem cerebrum affectum male per inflamma-
" tionem, corruptionem (*i*), erosionem menin-
" gum (*k*), à carie ossis (*l*), bile atrâ, gummatibus
" venereis (*m*). Has autem causas juvant omnia,
" quae liquidorum in cranium affluxum augent (*n*),
" ut sunt, plethora (*o*), motus, calor (*p*), ebrietas,
" epu-

(*b*) Joh. Jacob. Wepfer. de Affect. Capitis, p. 34. et 36. (*c*) Misc. N. C. D. i. A. iv. et v. ob. 35. Epilepsia narratur cranio intropresso cum cerebro corrupto, orta; huic simile Boerh. retulit ex Ballonio in Morb. Nerv. tom. ii. p. 795. Eandem ossa capitis compressa ob angusta naturalia partui fecerunt, Boerh. lib. c. p. 794. Prava quoque cranii conformatio, Barthol. Anat. Reform. lib. IV. cap. v. Bonet. Sepul. Anat. tom. i. p. 293. M. N. C. D. ii. A. i. ob. 92. (*d*) Fernelii Pathol. lib. V. c. iii. Bonet. lib. c. p. 282. (*e*) Van Swieten, lib. c. p 407. Boerh. lib. c. p. 796. Schenck. lib. c. p. 100. Bonet. lib. c. p. 275. et seq. Car. Piso de Morb. a coll. Serof. p. 158. (*f*) Van Swieten, l. c. (*g*) Thom. Bathol. hist. lxvii. cent. 4. (*h*) Schenck. lib. c. p. 98. Boerh. de. M. N. p. 799. Sed an Epilepsia quae saepe usum Mercurii temerarium in lue venerea curanda sequitur, mercurio ad cerebrum in metallino statu perveniente, nascatur, dubium admodum mihi est; a corporis debilitate et irritabilitate a mercurio factis ortam, verisimilius est. (*i*) Bonet. lib. c. p. 283. (*k*) Fernelii Pathol. l. c. (*l*) Misc. N. C. D. i. A. iv. et v. ob. 34. Boerh. lib. c. p. 792. (*m*) Boerh. lib. c. p. 793. (*n*) Haec praecipuae occasionales causae sunt. (*o*) Schenck. p. 100. et 105. Hoff. tom. iii. p. 23. (*p*) Hip. de Morb. Sacr. Chart. tom. x. p. 482.

" epulae (*q*), venus (*r*), ingenium perſpicax, al-
" tum, meditatio profunda (*s*), affectus animi in-
" gentes (*t*), imaginatrix vis ingens, terror, me-
" tuſque imprimis (*u*). 4. Omnes violentae affec-
" tiones generis nervoſi (*x*), ut ſunt magni et pe-
" riodici dolores (*y*), paſſio hyſterica (*z*), roſiones
" et irritationes a lumbricis, dentitione, acri
" humore, lacte caſeoſo, acri, (*a*) acido infantum,
" meconio, contagio variolarum, cardiogmo, ulce-
" rosâ materie alicube hoſpitante (*b*), inedia, cra-
" pula, acribus potulentis, eſculentis (*c*), medi-
" camentis (*d*), venenis (*e*), 5. Ab interceptis
" nonnullis, quae olim excerni ſolebant, ſanie,
" pure (*f*), menſtruis (*g*), lochiis, hæmorrhoïdibus,
" uri-

(*q*) Schenck. p. 101. (*r*) Van Swieten, lib. c. p. 412. (*s*) Van. Swieten, l. c. (*t*) Schenck. p. 102. Hoff. tom. iii. p. 12. (*u*) Boerh. de M. N. p. 803. A viſu Epilepticorum Miſc. N. C. D. i. A. iv. et. v. ob. 43. Act. N. C. vol. ii. p. 302. vol. iii. p. 187. Schenck. l. c. Ab campani ſonitu, M. N. C. D. ii. A. ii. ob. 149. et D. iii. A. v. et vi. ob. 27. (*x*) Inter haec enumerare poſſumus Epilepſiam partum, vel concubitum ſecutum, Boerh. lib. c. p. 806. (*y*) Hoff. l. c. (*z*) Van Swieten, lib. c. p. 416. Hoff. l. c. (*a*) Eph. N. C. D. i. An. vi. et. vii. ob. 201. p. 296. (*b*) Van Swieten, lib. c. p. 419. (*c*) A carne ſuilla aſſumpta, Heiſter's Anat. Obſerv. p. 488. (*d*) Ab Ranunculi Hort. pleno flore, odore Eph. N. C. D. ii. A. ix. et x. ob. 92. Ab Olei Juniperi in Nephritide uſu, Eph. N. C. D. i. A. ii. ob. 8. Ab Reſina Jalap. et Scamm. Eph. N. C. D. ii. A. vii. ob. 162. Ab Hyoſcyami Fomentatione, Eph. N. C. D. ii. A. i. ob. 135. A Cortice Peruviano Hoff. tom. iii. p. 19. (*e*) Ab Cicuta Aquatica Eph. N. C. D. ii. A. vi. p. 225. Wepferi Hiſt. Cic. Aq. p. 6. et ſeq. Ex Carbonum Vaporibus, Hoff. tom. iii. p. 13. ex humanorum corporum. Boerh. de M. N. p. 805. (*f*) Eph. N. C. D. ii. A. vi. ob. 201. D. ii. A. vii. ob. 144. Van Swieten, lib. c. p. 430. (*g*) Eph. N. C. D. i. A. i. ob. 86.

" urina (*a*). 6. Fumis nonnullis paroxyſmum inte-
" grantibus, fomite alicubi haerente, unde ſenſu
" elevatae aurae adſcendens cerebrum petit (*b*).

Omnibus ſupra comprehenſis, quae ad morbum pertinere viſa ſunt, ſubjicienda deinde ſigna ſunt, quibus hic ab omnibus aliis morbis, primumque a falſa Epilepſia diſcernatur. Epilepſiae Diognoſis.

Quanquam in dirum hunc morbum multi incidunt, tamen alii eum ſimulant. Quem utique toties ſimulari poſſe, quoties hoc factum ſcriptores teſtati ſunt, dubium nonnullis et vix credibile videtur, dicique poteſt, per eadem, quae interdum falſi detegendi cauſa tractantur, verum finiri poſſe. Quibus enim corpus admodum irritabile eſt, ii proniores in hunc morbum ſunt, qui ſicut plurimi alii, ex variis ſtimulorum generibus, variiſque animi affectibus, et inchoatur, et deſinit. Ideoque fieri poteſt, ut terrore aliove graviore affectu, morbi impetus ita reprimatur, ut ne iterum redeat; neque tamen hoc concedens, ita tot tamque gravium virorum teſtimoniis fidem negandam opinor, ut non et fingi poſſe morbum, et fictum aliquando eſſe, fatendum ſit. Verique diſcendi cupidos Verae a ficta diſtinctio.

(*a*) Schenck p. 101. A ſemine ſuppreſſo Zacutus Prax. Adm. lib. ii. ob. 119. A Spontaneo Sudore Turbato, Eph. N. C. D. iii. A. iii. ob. 106. A Materia acri ex infantium capitibus defluente ſuppreſſa, Van Swieten, lib. c. p. 421. A Materia Podagrica nondum ad inferiores artus tranſlata, ibid. p. 422. (*b*) Vide hujus p. 6.

pidos ad hiſtorias a de Haeno (*a*) narratas, relego.

FICTUM hunc morbum a vero diſcernere aliquando ſatis eſt difficile, nonnulli tam callide fingunt, ut ſagaciſſimus medicus interdum fallatur. Quo magis medicus omnia cum cura reſpicere debet, ne vanis praeſtigiatorum artibus decipiatur.

QUAEDAM in acceſſionibus notae ſunt, quibus verus an fictus morbus ſit, certo diſtinguatur. In vero, univerſi ſenſus penitus conſopiuntur, quod utique in ficto non fit; quamvis enim callidi artifices hoc facere videntur, non omnes tamen ſenſus conſopire poſſunt: quibus igitur cutis vehementer vellitur, vel acu aliave acuta cuſpide irritatur, aut denique ferrum candens admovetur, ilico doloris ſigna dant. Per oculos quoque dignoſcere licet; in Epilepſia pupillae ſemper dilatae, palpebris apertis, vel in clara luce manent. Ubi morbus non eſt, ſed eum aliquis imitatur, lumine admoto, pupillae, ut ſani hominis, contrahuntur; per hanc notam praecipue in quadam muliere de Haen dolum detexit. Nunquam palpebrae, teſte Boerhaavio (*b*), etiam in vero morbo, ita clauduntur, ut aliquid tamen oculorum albi non cernatur; hoc artifex non imitatur. De Haen aliam mulierem, adeo probam morbi artificem fuiſſe narrat, ut ne ferrum quidem candens, ad dolum recludendum ſatis fuerit:

(*a*) De Haen. Meth. Medendi, pars. v. c. iv. (*b*) Boerh. de M. N. lib. c. p. 776.

fuerit: Quamvis hoc rariſſime incidit, tamen admonere nos debet, quantum curae ac diligentiae, ne verba nobis dentur, adhibendum ſit.

EPILEPSIA facile ab Apoplexia diſcernitur, nam quanquam in utraque ſenſus adimuntur, tamen in illa, varie agitatur corpus, in hac, immotum quaſi profundo ſomno ſopitum, cum difficili et ſtertuoſo ſpiritu, arteriis vehementer pulſantibus, jacet. Ab Apoplexia et Catalepſi diſtinctio.

CATALEPSIS rariſſimus morbus eſt, Epilepſia frequentiſſimus, in illa corpus non varie agitur, quamvis ſenſus auferuntur, ſed ſingulare aliquid evenit, quod eam Epilepſiae diſtinguit; ſcilicet corpus in ſtatu, in quo impetus morbi factus eſt, vel immobile perſtat, vel ita moveri poteſt, ut in quam poſituram membrum aliquid conjiceris, in eadem perſtet, dum alia vis extrinſicus admota, loco id rurſus iterum dimoveat.

QUORUM tamen malorum quaedam ſimilitudo eſt, initio Apoplexiae convulſivi motus fiunt. Catalepſis quoque propius ad Epilepſiam accedit; ipſe quandam vidi, quae Epilepſia vexari videbatur, verum in acceſſione cum convulſiones paululum ſe remiſiſſent, Catalepſios in faciem morbus ibat: etenim in quacunque figura aliqua corporis pars poſita erat, in ea defixa manebat, donec convulſiones mox iterum redierunt.

AB utero cum Epilepſia, tum alia quoque vitia convulſiva, huic ſimilia oriuntur. Itaque Epilepſiam, A malo Hiſterico diſtinctio.

ſiam, malum Hiſtericum aliquando ſimulat. In quo tamen, convulſiones raro aeque graves ac in illa ſunt. In malo Hiſterico omnes ſenſus conſopiri rariſſimum eſt, ſiquidem aliquando et vident et audiunt afflictae, et acre aliquid admotum protinus ſentiunt, omniaque quae ante contigerunt, memoria revocant (*a*). In Epilepſia ſpumae ex ore moventur, hoc nunquam, certe rariſſime Hyſtericis accidit (*b*). Interdum mali Hyſterici acceſſionem, humoris ex utero magna copia fluentis, finit; in Epilepticis nihil huic ſimile eſt. Pulſum Epilepticorum validiorem eſſe, quam pro naturali modo; Hyſtericis contrarium fieri ſe obſervaſſe ait Riverius (*c*). Verum, cum pulſum in Epilepſia varium admodum eſſe conſtet, hoc ſignum, quod et obſcurius ipſum eſt, et ſcitu difficillimum, ad morbum dignoſcendum minus aſſumi debet.

Ab aliis pleriſque convulſionis generibus, eo differt Epilepſia, quod in iis ſenſus non penitus auferuntur.

Ex variis cauſis Epilepſiae diſtinctio.

Varias Epilepſiae cauſas non ignoraſſe, curaturum haud mediocriter adjutabit, quia quod parum curioſe ſcrutati ſumus, id raro ſanare nobis contingit.

Epilepsia, vel quod *a majoribus* orta eſt, vel quod *conceptae in animo matris imagines, partui*

(*a*) Riverii Praxis, p. 381. (*b*) Cael. Aurelian. lib. c. p. 295. (*c*) Riverii Pr. l. c.

tui in alvo, eam forte tradiderunt, diſtingui facile poteſt.

Epilepsia ex quibuſdam cauſis in N° 3tio memoratis, difficilius innoteſcit. *E vulneribus, contuſionibus, cranii introprеſſionibus, oſſibus ejuſdem fractis, telis intus manentibus, corruptis aut eroſis meningibus, affectis denique carie oſſibus;* facilius. *Abceſſus* obſcuriorem notam praebent; verum, ſi, ut in internorum partium abſceſſu fit, febrili acceſſione ſaepius homo petitus eſt, ſimulque capitis dolor, gravitas, tremor, oculorumve hebetudo accedunt, ab abſceſſu factum morbum, conjiciendum eſt. Quem porro a *ſanguine* aut *inflammatione* ortum, corporis plenitudo, aut cujuſcujus capitis loci dolor aut gravedo oſtendunt.

LYMPHA acris vel faetida, tubercula oſſea, ſinus venoſi quaſi in cartilagineam naturam verſi, gummata venerea, ſi Epilepſiam fecerunt, nihil tamen certi ad illam dignoſcendam, adferunt.

Si *ab ulceroſa materia alicubi latente, inedia, crapula, acribuſve, quae per potiones aut cibos, quaeve medicinae cauſa* aſſumpta ſunt, *argento vivo, venenis, doloribus, malo hyſterico* fuit, quae praeierunt originem fere indicant.

Quando *eroſum, aut irritatum a lumbricis aliquid* morbum fecit, ventris dolor, naſus pruritus, aliaque lumbricos comitari ſolita, magiſque hi corpore ejecti cauſam monſtrabunt. Eundem ſi

lac, humor acris aut acidus, aut *meconium* fecerunt; aetas afflicti, in inteſtinis dolor, vomitus, ſtercus viridi colore, male vel acidum olens, indicium facient. Si *dentitio* fecit; aetas, gingivarum dolor, ſeu rubor inſuetus, notas praebebunt. Si vero *variolarum contagio*; illae vulgo jam per populum graſſantes, ideoque in aliquo ante eorum experte ſuſpectae, magiſque, ſi mala variolis praeire conſueta comitantur, eam ſignificabunt.

ANTE acceſſionem dolor circa ventriculum, cibi faſtidium, nauſea, vomitus, cordis palpitatio, a ſtomacho aut ventriculo Epilepſiam eſſe, indicant.

EADEM ex cauſis in N° 5to. et 6to. facile diſcernitur.

Epilepſiae prognoſis.

EPILEPSIA in acutam et longam dividitur; interdum primo impetu aegrum tollit, itaque acuta dicitur, (*a*) plerumque tamen longa eſt.

SI neque medicamentis, neque alii rationi paruit, ſolet etiam ad ſupremum uſque vitae diem manere.

QUO frequentiores acceſſiones fuerunt, eo vehementiora omnia erunt, dirioribus convulſionibus aeger cruciabitur, paulatimque omnia corporis & animi officia imminuentur (*b*). Eadem variis modis partes diſtorquent. Ex convulſivo oculorum motu, perpetuus ſaepe ſtrabiſmus oritur (*c*); violenter modo os (*d*), modo totus vultus,

(*a*) Aret. l. c. Sylvii lib. c. p. 421. (*b*) Aret. lib. c. p. 29. Willis. lib. c. p. 25. (*c*) Junker. lib. c. p. 448. Sylvii Praxis, p. 422. (*d*) Sylvii, l. c.

tus (*e*) diſtorquetur. Membra aliquando vulnerantur, contunduntur, aut etiam franguntur (*f*), aut aliis caſibus offenduntur. Quodque triſtiſſimum omnium eſt, hoc morbo modo inſania, modo maeror aut melancholia, naſcuntur (*g*).

CONVULSIONES, quo minus in muſculos ſanguis influat, impediunt, unde vicinae partes inflammantur, aut corrumpuntur. Sanguis autem vel corpore ejicitur, vel in membranam adipoſam rejicitur; unde etiam fit, ut Epilepticorum vultus toties tumeat, palleat, vel purpureus, oculis hebeſcentibus, ſit.

QUIBUS morbus a majoribus, ſorte naſcendi, quaſi traditus eſt, his cerebrum male conformatum eſt, cumque, quo modo hoc fiat, ignoremus, difficilius aut ne omnino quidem ſanabimus.

HIC morbus ſi diu quem infeſtavit (*h*), praecipue ſi circa pubertatem non deceſſit, perraro ſanari ſolet. Namque etiam ſine medicina, "In pueris," ut Celſus ait, "Veneris, in puellis menſtruorum "initium eum tollit (*i*)."

IDEM aliunde, quam ex cerebro, oritur; qui, ſi cauſae eae fuerunt, quae tolli poſſint, ſaepiſſime ſanatur: itaque ſi vermes, meconium, lac acidumve fuerunt, his idonea medicina ſublatis, ex iis pendens morbus ſimul tolletur (*k*).

EPI-

(*e*) Aret. lib. c. p. 28. (*f*) Sylvii l. c. (*g*) Hippocr. 6 Epidem. § viii. textu 40. Will. lib. c. p. 24. (*h*) Hippocr. de Morb. Sacr. Chart. tom. x. p. 482. (*i*) Celſi l. c. (*k*) Heiſter's Anat. Obſervat. p. 118.

Epilepsia ingente terrore nata, utique, in provectiore aetate hominibus, omni aevo insanabilis habita est (*l*).

Qui, sine ullo signo praeeunte, morbo protinus corripi consueverunt, hi raro sanantur (*m.*) Idem ubi ex aliqua corporis parte manifesto ortus est, major salutis spes erit (*n*).

Quibus protinus post accessionem finitam sensus restituuntur, iis optima spes est; pejor, si gravedo vel vertigo manent (*o*).

Pueri facilius quam adulti sanantur, in illis ut a levioribus causis incipit, ita levioribus quoque auxiliis cedit. Iisdem, procedente aetate, corpora auctis viribus firmantur, ut causis ex occasione petentibus magis contra resistant. Qui vero ad summum roboris vigentissima aetate pervenerunt, si hos morbus invasit, ut causae vehementissimae sint, et sublatu ille difficilior, necesse est.

Gravida aliqua hoc morbo levius affecta, ne abortiat; gravius vero, ne intereat, periculum est. Schenckius tamen in suo libro, qui Observationes inscribitur, (*p*) paucas, quae neque mortuae sunt, neque partum perdiderunt, memorat: quod tamen perraro fieri monendum est.

Cum morbo ante conflictati, eoque jam liberi, aliis promptius in eundem rursus recidunt.

Si

(*l*) Boerh. de M. Nerv. lib. c. p. 807. (*m*) Cel. Aurel. lib. c. p. 294. Van Swieten, tom. iii p. 396. (*n*) Hipp. Praedic. lib. II. tom. viii. Chart. p. 816. (*o*) Boerh. l. c. (*p*) Ettmuller. lib. c. p. 437.

Si ante menſtruorum initium fuit Epilepſia; quamvis medicamentis aliaſve curata abiit, tamen uteri gerendi, maximeque pariendi temporibus, redeundi metus eſt (*q*).

Accessiones nocturnae quam diurnae aegrius tolluntur (*r*).

Quibus intro pollices in cavam manum non inflexi ſunt, iis bona ſalutis ſpes eſſe dicitur (*s*).

Cui inter ſingulas acceſſiones magnum temporis intervallum vacuum a morbo interceſſit, is difficile ad ſanitatem perducitur (*t*). Altius etenim ſuas quaſi radices egiſſe malum indicatur, ut eaſdem penitus revelli, majoris fore laboris, dicendum ſit. Similique ratione, febrem quartanam, quam quotidianam aut tertianam, ſanare magis arduum eſt.

Quartana febris, Epilepſiae ſuperveniens, hanc interdum ſolvit (*u*).

Eadem in apoplexiam aut paralyſin tranſiens mortifera eſt (*x*).

Omnibus memoratis, quae aut memoranda neceſſario duxi, quaeve hujuſmodi ſermonum ſolennis brevitas patitur; ad curationem proxime aggrediendum eſt; quod utique perficere non difficillimum eſſe non poteſt. Epilepſiam innumerabilia prope ſanaſſe ſcriptores teſtati ſunt. Epilepſiae curatio.

Quorum

(*q*) Hoff. tom. iii. p. 13. (*r*) Junker. lib. c. p. 446. Boerh. lib. c. p. 804. (*s*) Hoff. l. c. (*t*) Boerh. lib. c. p. 850. (*u*) Hippocr. lib. VI. tom. ix. Chart. p. 550. Aph. § v. Aph. 70. River. lib. c. p. 177. Aliae febres idem faciunt, Eph. N. C. D. iii. An. iii. ob. 3. D. ii. An. v. App. p. 20. (*x*) Hoff. l. c.

Quorum multa vana et inutilia tamen ſunt; multa contra inſigni virtute praedita eſſe concedendum eſt: haec igitur ab illis ſeparare, et ad ſingulas cauſas ſingula accommodare, laboris certe maximi eſt, ſed nobis omnino tentandum.

In acceſſione, quae omnibus Epilepſiae generibus communis eſt, pauca quae fiunt, diligenti obſervatione digna, proponam.

Per acceſſionem curatio.

Cum ſenſus omnes in morbi impetu extinctis ſimiles jacent; acria vel volatilia naribus admota (*y*), vel ut quidam praeceperunt ore data (*z*), inutilia ſunt. Quae circa acceſſionis finem, ut ſentire jam aliquid incipiens homo, ſed hebes ac laſſus adhuc manens, citius ad ſe redeat, efficere utique poſſe, haud inficias eam.

Si quis morbum inſtare ſentiat, lectum petere, famuloſque adſtantes, ne quid ſibi inter convulſiones noceat, prohibituros, habere debet.

Quoniam maxillae vehementer moventur, ne lingua quae aliquando ſimul exeritur, vulneretur aut etiam praecidatur, cavendum erit. Quocirca inter dentes molares quae interiores ſunt, ſuber aut mollius aliquid lignum interponi (*a*), idque, ne in fauces deferatur, filo adligari debet.

Spumae tenaciſſimae, quae in ore circa acceſſionis finem ſunt, ne ſuffocetur homo, auferendae ſubinde ſunt.

Pollices

(*y*) Sylvii Prax. p. 428. (*z*) River. Prax. p. 177. (*a*) Van Swieten. l. c.

POLLICES in acceſſione in cavam manum arctiſſime inflexos, nonnulli ut revellant maxima vi nituntur; quod mihi neque prodeſſe quicquam, interdum etiam obeſſe poſſe, videtur.

QUIBUSDAM frictio maxime placet, quam, ut acceſſio protinus ſe remittat, efficere contendunt; (*b*) quae tamen vel nulla vel leniſſima eſſe, ut recte monuit Caelius Aurelianus, (*c*) debet; vehemens ſanguinem vel e corpore, vel ſub cutem fluere cogit. Si ita gravis acceſſio eſt, ut quaſi mortuus homo jaceat, quidam per vomitum eum excitari jubent (*d*); quod ego ſupervacuum, aut etiam malum, judico, rectiuſque ſtimulantia extrinſecus admoveri, vel acria in anum immitti, affirmo.

INTERDUM ſanguinis circa praecordia copia, ne ſuffocetur in impetu morbi homo, periculum adfert; quod ubi fit, vena ſecanda eſt; ſed hoc rariſſime, nec niſi quibus pleniſſimum corpus eſt, fieri debet.

EPILEPSIAE, ut ſupra memoravi, variae ſaepe cauſae ſunt, variae ergo curandi rationes requiruntur. Primum ejus curatio a nulla materie ortae attingenda; deinde aliorum quoque generum, paucis tentanda eſt. Poſt acceſſionem curatio.

A NULLA materie orta dicitur, quae majoribus, matris animo conceptis imaginibus, Epilepticorum conſpectu, animi affectibus, immodica venere ſimilibuſque,

(*b*) Boerh. de Morb. N. tom. ii. p. 850. (*c*) Cael. Aur. lib. c. p. 297. (*d*) Ettmul. Op. tom. i. p. 441.

milibusque, nata est. Sic enim affectorum cerebro post necem inciso, nihil praeter naturam, aut sola, quae morbus ipse effecerit, cernuntur.

Nulla materie natae curatio.

Cum igitur in his corpus nimis irritabile videatur, ut ad sanitatem homo reducatur, haec necessario facienda videntur.

Primum, Corpus minus mobile reddendum.

Dein, Occasionales accessionum causae cavendae.

Tum, Si in consuetudinem redeundi accessiones jam pervenerint, illarum ordo turbandus.

Postremo, motibus convulsivis jam instantibus occurrendum.

Corpus firmius ac minus mobile reddit idonea vivendi ratio: frequens exercitatio utilissima est; cujus, quoniam plura genera sunt, delectus habendus est. Equo vehi, si fieri potest, ni fallor, commodissimum est, ante meridiem hoc faciendum; nam qui protinus post prandium exercetur, ei cibus male digeritur, unde mala nascuntur; omnis exercitatio, intra modicum sudorem et corporis defatigationem, consistere debet. Dies pluviosi aut nebulosi solisque ardor vitanda sunt.

Cibus ex bona materia esse debet. Ex animalibus nihil, quod difficilius in ventriculo concoquatur, assumi, itaque nihil adiposi unquam convenit, jureque ab carne suilla caveri Celsus voluit: quia propter pinguedinem, haud facile digeritur.

Itaque

Itaque anſeribus, anatibus, aliiſque avibus aquatilibus abſtinendum. Piſces perraro aſſumendi; quorum multi ventriculum, diuque, gravitate afficiunt, multi inter digerendum febrem magnam excitant. Ex herbis inflantia omnia fugienda ſunt; qualia ſunt pleraque olerum, quaeque Leguminoſa dicuntur ſemina.

Vini ac caeterorum liquorum, qui ſpiritum ardentem habent, immodicus uſus peſſimus eſt; ſiquidem ſanguinem citat, et corpus poſtea imbecillum linquit. Vinum tenue, cuive aqua adjecta ſit, modice aſſumptum inutile tamen non eſt; ſicut et cereviſia, quae bona et pura eſſe explorata eſt; eadem ſi vel omnino recens eſt, vel nondum fermentare deſiit, plurimum oberit. Aquam plurimis laudibus tollit Hoffmannus; quae vel pura, vel, in qua cinnamomum aliave aromata decocta ſint, igitur potui danda eſt. Aliis ea magis placet, in qua lignum Guaiacum coctum ſit, utpote in quo, aptum aliquid ineſſe ad Epilepſiam ſanandam, credant.

Lavatio frigida corpus multum roborat, quod matutino ſemper tempore lavandum eſt.

Somnus modicus eſſe, neque cibum protinus ſequi debet.

Nunc de medicamentis corpus roborantibus dicendum eſt. Haec ſunt adſtringentia, amara aut aromatica quae ſunt; viſcum quercinum, cortex Peruvianus, ex cupro et ferro complura parata. Quorum unumquidlibet Epilepſiam interdum ſa-

nabit. Viſcum quercinum, multorum quae hunc morbum propria vi tollere credita ſunt, pars aliqua eſt, quod cum adſtringens ſit, tollere illum poteſt. Cortex Peruvianus ſolus ſaepe ſanat; quod utique certius fiet, acceſſione poſt idem temporis intervallum uſque repetente.

Ex cupro quae fiunt, ad hunc morbum ſanandum plurimum valent. In iis duplex vis ineſſe videtur, ſtimulans ſcilicet et adſtringens. Cuprum acidis junctum valde ſtimulat, ſupra infraque purgat, cum ſalibus mediis mixtum inſigniter adſtringit. Hujuſmodi ſunt Ens Veneris Boylei; eaque medicina, quae ex cupro cum ſale Ammoniaco ſecreto Glauberiano conſtat (*e*). Haec remedia, ſaepe Epilepſiam in corporis irritabilitate et debilitate poſitam, tollunt; ſed ni fallor, rarius uſurpantur, quam debent.

Omnia ex ferro conſtantia adſtringenti vi inſigni pollent; ut, quibus temporibus, ex cupro quae ſunt, dantur, iiſdem dari illa quoque conveniat. Aquas, in quibus ferrum natura ſolvit, Epilepſiam ſaepe ſanaſſe, multi auctores ſunt (*f*).

Stimulantia quaedam, ut ſunt nux Moſchata, Cinnamomum, ſimiliaque, cum prioribus nonnullis mixta, ad corpus roborandum, aliquid conferunt.

Quae omnia, ut voti compotes ſimus, diu ſervanda ſunt. Aetas ipſa, corpus multum firmare et irri-

(*e*) Nov. Act. N. C. tom. i. ob. 67. (*f*) Van Swieten, tom. iii. p. 449.

irritabilitatem ejus minuere, ſolet: itaque quibus in tenera pueritia gravis hic morbus fuit, eum paucorum annorum mora ſola interdum ſolvit. Paulus Aegeneta, nihil in his tentandum, ſalutemque a venientibus annis ſperandam, judicavit.

Si cauſis ex occaſione accedentibus occurſum eſt, acceſſio quoque ne incidat, prohibetur; et niſi morbus longior eſt, aliquando ex toto liberari eo hominem contingit.

Causa occaſionalis frequentiſſima corpus plenius eſt; praecipue, ſi ſanguis majore copia ad cerebrum impellitur. Cujus ſi ſigna apparent, ſcilicet capitis dolor, calor, oculorum cum rubore hebetudo; ſanguis ilico ex capitis vaſis primum, poſt quod, ex aliis quibuſlibet, prout opus ſit, detrahendus eſt. Antiqui venas et arterias circa caput ſecari praeceperunt; nec inter nos deſunt, qui feliciter has ſecari affirment (*g*). Sed inter ſanguinem detrahendum, curandum eſt, ne animus deficiat, ac proinde acceſſio excitetur (*h*). Sanguis ex pedibus miſſus, gravidas cum hoc malo conflictantes, ſaepe liberavit (*i*). Alvum purgantia ad ſanguinem a capite deducendum valent. Ad humoris etiam copiam minuendam conferunt ſetacea quae dicuntur, fonticuli, ſimiliaque.

Omniaque, quae ut ſanguis aut nimis vaſa impleat, aut ad cerebrum majore impetu ruat, faci-

(*g*) Van Swieten, tom. iii. p. 441. (*h*) Aret. lib. c. p. 121.
(*i*) Hoffm. tom. iii. p. 15. et 17. Schenck. Obſervat. p. 105.

faciant, cum cura vitanda ſunt. Itaque a calore, balneo, motu violento, ebrietate, epulis, contemplatione altiore, metu, terrore, aliiſque animi affectibus cavendum eſt.

Loci praecipitis omniumque rapide motorum, magiſque, in orbem circum rotatorum, conſpectus vitandus eſt, utpote quae acceſſionem vehementer concitent (*k*).

Corpus quoque imbecillum reddentia omnia fugienda ſunt; et prae caeteris concubitus. Mercurialis, adoleſcentes Germanos ab immodico illo ſaepe factos Epilepticos, memoriae prodidit (*l*).

Si in conſuetudinem redeundi acceſſiones jam pervenerint, ut illarum ordo turbetur, conandum eſt. Magna aliqua in corpore mutatio ſaepe ſanat morbum. Itaque cum circa pubertatem in corpore multa noventur, multos hoc tempore eo liberatos, nec per totam deinde vitam repetitos, accepimus. Mutatio coeli ratioque vivendi interdum idem facit. Nonnullis, qui Epileptici ſub frigidiore coelo fuerant, in calidiorem regionem tranſeuntibus ſolutus morbus prius non repetivit, quam in patriam illi rurſus rediiſſent (*m*): Ut non ſine cauſa, maximam ſpem in aetate veniente, regione et victu mutatis, Hippocrates collocarit (*n*). Animi affectus aut etiam alii morbi ita corpus mutant, ut interdum hunc quoque ſanent. Quin-

etiam

(*k*) Aret. lib. c. p. 222. Hoffm. tom. iii p. 16.

(*l*) Mercurial. Prael. Patav. p. 372.

(*m*) Boerh. de M. N. tom. ii. p. 821.

(*n*) Hipp. Aph. § ii. 45.

etiam medicina ita dari poteſt, ut multa in corpore mutando, idem efficiat.

VOMITUM excitantia efficacia ad id admodum habenda ſunt. SI acria in primis viis morbum excitarunt, fieri poteſt, ut vomitus illa rejiciendo hunc ſolvat. Verum, ni fallor, alia interdum ratione vomitus malum ſuperat: magnam in corpore mutationem, itaque, ut inſtanti acceſſioni occurratur, facit; parique modo ſternutamentum aut aliquid ſtimulans interdum agere videntur. Excitato paulo ante acceſſionem vomitu, puellam Williſius ſanavit (*o*): Eodem per plures annos hoc morbo afflictam jamque forte gravidam De Haen liberavit (*p*). Quanquam in hac ventriculus vitiatus videtur; a quo tamen vitio Epilepſiam ortam dubium admodum eſt. Quin et amiciſſimus mihi vir, artiſque noſtrae peritiſſimus, Joh. Gardiner medicus, puellam a diris convulſionibus ita quaſſatam, ut ſenſus ejus non penitus conſopirentur, multis aliis remediis fruſtra tentatis, ad ſanitatem reduxit. Verum, cum in his omnibus materia aliqua intus latuiſſe videatur, quam vomitus rejecerit, aliquis mihi contra objiciat, hinc eſſe morbum profectum. Quod quidem ita fateor, ut aliam morbi originem eſſe, aliàſque vomitum agere potuiſſe, fatendum quoque eſſe contendam. Quamvis enim nihil vomitu rejiciatur, ac ſola nauſea excitetur, ut in aliis morbis, maxi-

(*o*) Williſii. lib. c. p. 29. (*p*) De Haeni, lib. c. p. 51.

maximeque febribus intermittentibus, fit, eadem medicina eundem hunc morbum finire poteſt. Cujuſmodi memorabile imprimis aliquid in Eph. Nat. C. Cent. iv. obſ. 58. narratur; ipecacuanham nauſea tantum excitata, morbum finiviſſe. Quod eo factum mihi videtur, quod irritabilitate et mobilitate imminutis, corpus minus acceſſionibus opportunum evaſerit.

ALVUM ſolventia, alios purgando, in aliis aliquid mutando, Epilepſiam ſanant: quod minus utique, quam vomitum excitantia, faciunt; nec auxilii multum, niſi et diutius, et quam valentiſſima adhibita, promittunt (*q*).

SALIVA a mercurio mota morbum aliquando ſanat (*r*); quod ad mutandum pari modo in corpore aliquid, ni fallor, confert.

PRAETEREA cauſtica, veſicatoria, fonticuli, ſetacea multum proſunt. In quibuſdam nationibus ferrum candens vulgo ac proſpere admovetur; quod et adurendo mutare, et exulcerando aliquid elicere, poteſt: nec huic diſſimilis fonticulorum ac ſetaceorum eliciendi actio eſt. Itaque Williſius, virgini cuidam Epilepticae, cum ex ulcere materia ferebatur, morbum remiſiſſe, eodemque ſiccato, iterum rediiſſe, teſtatur (*s*). Veſicatoria prodeſſe dictum eſt, praeſertim capiti admota, ſed, ut quidam opinantur, minus quam vel ſetacea vel fonticuli.

NUNC

(*q*) River. lib. c. p. 177. (*r*) Boerh. l. c. (*s*) Williſii, lib. cit. p. 27.

NUNC tranſeundum eſt ad id, quod quarto propoſitum eſt, ſcilicet ut motibus convulſivis jam inſtantibus occurratur; ideoque ſpatium vacuum, quo corpus firmius evadat, interponatur; idemque hoc a cauſis occaſionalibus, quibus ante patuit, ſic firmatum defendatur. Quod ſi factum eſt, morbus ſaneſcit; ſin minus, acceſſio redeat et morbus maneat neceſſe eſt.

HOC praecipue efficiunt, vel omnes corporis ſive naturales, ſive praeter naturam, motus tollentia; NARCOTICA ea dicuntur: vel ſolos eos, qui praeter naturam ſunt, componentia; quae rectius ANTISPASMODICA nuncupantur: de quibus utpote longe frequentiſſime adhibitis, ſermo primum fiet. Eorum praecipua ſunt, moſchus, ambragriſea, oleum Dippelianum, liquor aethereus, alkali volatile, caſtoreum, aſa foetida, galbanum, valeriana, ruta, paeonia. De omnibus ſigillatim non dicturus, quaedam tantummodo attingam.

MOSCHUS purus, ſpaſmos omniaque convulſionum genera, optime ſedat; eundem in rabie canina, quae morborum ſpaſmodicorum eſt, efficacem eſſe, multi teſtantur; atque in hoc quoque multum potentiſſimus eſt. Hoffm. in Epilepſia puerorum maxime eum commendat; (*t*) quibus, cum morbus recens et ab irritabilitate ortus ſit, optimo eſſe poteſt auxilio. Idem ubi acidum, lumbrici aut ſimilia morbum fecerunt, infidus ha-

(*t*) Hoffm. tom, iii. p. 15.

habendus eſt. Aliquot abhinc annis, moſchi ſolum grana duo vel tria dari praecepta ſunt; quae cum exigua nimis portio tandem obſervata ſit, nunc grana viginti vel triginta rectius dantur. Qui quoniam quibuſdam hominibus convulſiones et alia mala excitat, ab eo in iis prudens medicus abhorrebit.

Oleum ex animantibus Dippelianum, ſpaſmos componere et ſomnum reducere optime dicitur (*a*); quo pacto hunc quoque morbum interdum ſanat (*b*). Sed difficillime ſincerum paratur, quod ſi non eſt, parum prodeſt.

Liquor Aethereus et hunc morbum, et omnia convulſionum genera, bene interdum ſedat. Verum cum diutius agere in corpore non poſſit, niſi ſtatim ante acceſſionem dato ei credendum non eſt. Suum liquorem anodynum mineralem, cujus vis omnis in liquore aethereo eſt, laudat Hoffmannus (*c*.)

Alkali volatile ſaepe datum ſcriptores teſtantur (*d*); quod dari pro antipaſmodico licebit. Cujus tamen ſtimulus, utpote caeteris antipaſmodicis major, ut parum aliquando conveniat, facit.

Castoreum in multis convulſivis malis per multa ſaecula datum eſt, quod, ni fallor, plurimis aliis antiſpaſmodicis minus erit efficax.

Vale-

(*a*) Hoffm. tom. iii. p. 14. tom. iv. p. 464. Act. Acad. Elect. Mogunt. tom. i. p. 297. et ſeq. (*b*) Act. Mogunt. l. c. (*c*) Hoffm. l. pr. c. (*d*) Hoffm. ibid. Boyle's works, vol. iv. p. 180.

VALERIANAE per multos jam annos in Epilepsia laudatus usus est, in qua ejus adhibendae primus auctor Fabius Columna celebratur; utpote per quam seipsum cum amicis quibusdam, Epilepsia liberatos, affirmet (*a*). Usus ejusdem ab illis usque temporibus ad haec permansit; nec dubium est, quin rite data efficax imprimis sit medicina. Quam, in corporibus valde irritabilibus neque diutius dum Epilepsia afflictis, aliquid prodesse posse, verisimile est. Si in lumbricis morbus omnis est, illos corpore elicere, et hunc sanare dicitur (*b*). Contrita dari ampla portione et saepius debet. Etenim aqua, in qua illa decocta aut macerata est, vel parva ipsius portio data, haud multum facit.

NARCOTICA porro, quia somnum inducunt et corporis irritabilitatem minuunt, adhibita etiam sunt. Opium ad corporis varios spasmos sedandos haud minimum potest; ut in Opisthotono et Tetano morbis videre est (*c*); item, ubi maxillae, ita conjunctae sunt, ut ne revelli quidem possint, quod Angli Locked Jaw dicunt. Adhaec, motus convulsivos in calidis regionibus frequentes, ita componit, ut, Bontio teste, prope solum sit auxilium (*d*). Idem in Epilepsia dari nonnulli volunt. In qua, quanquam accessionem in-

(*a*) Fab. Column. Praef. Phytobas. p. 120. (*b*) Hoff. tom. iii. p. 15. (*c*) London Med. Observat. vol. i. art. 12. (*d*) Jac. Bont. de Meth. Med. Indica, p. 23.

ſtantem pellere poſſit, corpus tamen ſumme debilitat, atoniamque novas mox acceſſiones excitaturam facit; quocirca cum rarius tum cautius utendum eſt. A ſyrupi Diacodii frequentiore uſu Epilepſiam lethalem factam obſervavit Hoffmannus. (*a*)

HYOSCYAMUM narcoticis affinem, cum alias convulſiones, tum Epilepticas, ſanaſſe teſtatur Storckius (*b*).

SIMILI fere modo nicotianae fumus agit, qui acceſſionem inſtantem aliquando prohibet (*c*).

ATQUE de Epilepſia, cujus origo cauſae nulla fuit materia, haec dicta ſint; nunc ad alia ejus genera tranſeundum eſt.

EPILEPSIA in cauſis in N° 3tio. relatis poſita, vel prorſus inſanabilis vel chirurgi artem requirit, quam, noſtrum non eſt, hoc loco attingere.

UT ea, quae a lumbricis orta eſt, ſaneſcat, hi vel necandi, vel corpus iis purgandum. Lumbricos necant, ſtannum aliaque metalla, fumus nicotianae, oleum; eoſdem corpore ejiciunt omnia, quae cum alias res in inteſtinis latentes, tum illos ipſos, ſoluta alvo, dejiciunt; qualia ſunt varia hanc purgantia. Porro graviter olentia et amara alvum non tantum movere, quantum ipſos lumbricos fugare, videntur: hujuſmodi ſunt aſa foetida, ſemen ſantonicum ſimiliaque. Dolorem et irritationem ab iis factam, De-

(*a*) Hoffm. lib. c. p. 16. et Aconiti uſu, p. 13. et ſeq.

(*b*) Storckius de Stram. Hyoſcyami

(*c*) Wepf. de Aff. capitis, p. 36.

Demulcentia quae dicuntur, vel opiata caute data leniunt.

Si dentitio morbum creavit; ei, cui plenum corpus eſt, vena ſecanda, gingivae acuta cuſpide incidendae ſunt.

Si in lacte caſeoſo, acido, meconio, morbus eſt; alvum purgantia cum demulcentibus conveniunt. Quorum acidum, quamvis purgatum quidem eſt, tamen cito renaſcitur, ut id caveatur, ad abſorbentia fugiendum eſt: Et quoniam frequens morbi cauſa acidum fuit, ſic frequens quoque illorum auxilium petitum eſt.

Ad id genus, quod a ventriculi ortum eſt vitiis, vomitum leniter moventia, opiata, ventriculum firmantia conferunt.

Ubi acria per cibum aut potionem aſſumpta venenaque cauſam dederunt; ſupra infraque purgantia, demulcentia, oleoſa; prout ſingulis illis reſpondent, ita ſingula ſumenda ſunt.

Si excerni ante ſolita aliqua, jamque retenta, origo, fuerunt, his iterum pro modo naturae fluentibus, deſinet morbus. Itaque ſaepe ulcuſcula, in puerorum capitibus alieno tempore ſiccata, eos Epilepſia afficiunt. Emplaſtra, paucis Cantharidum adſperis, vel alia ſtimulantia aut acria capiti impoſita, ut pus vel alius humor ulcere denuo exeat, efficiunt; quo facto fugit morbus.

Ubi quaedam quaſi aura ab aliqua parte venit; corpus roborari, et locum ſic affectum uri aut caedi, diuve exulcerari, aut ſi quid praeter naturam ſuperat,

rat, id adimi, proſtremo, nervum ſupra comprimi, convenit; quae ſi facta fuerunt, morbus, ut plurimum, decedet.

Omnibus tandem, quae ad ſuſceptum hoc opuſculum pertinent, quantum vel potui, vel pro temporis brevitate licuit, confectis; praeceptoribus meis, quos per ſex annorum ſpatium lubens audivi, ſcientiae traditae fructus et oblectationis, amicitiae decoris, beneficiorum utilitatis, ſummum, quod habeo, pretium, gratum animum perſolvo.

Quin et mihi chariſſimo ſodalitio medicinae ſtudioſorum, quibus aliquot annos interfui, impoſitae, pro illorum inſtitutis, ſcribendi et diſputandi utiliſſimae neceſſitatis, debitas gratias ago.

FINIS.